

*valet consequentia.* Nam in generatione ex aliquo fit aliquid, ut ex ovo pullus, & quidem ita, ut præsupponatur aptitudo & dispositio materiæ. At in creatione ex nihilo fit aliquid, vel ex aliquo fit aliquid, verum ita ut non sit materia disposita. Huc accedit, quòd creatio fit in instanti, à causâ universalissimâ, quæ est Deus.

II. *Obiectum creationis idem quoq; est obiectum providentia, sed non vicissim omne obiectum providentia est etiam obiectum creationis.* Nam obiectum providentiæ latius patet: quia sub illo comprehenduntur omnis generis bona & mala, cum creationi subiciantur solum bona.

III. *A creatione passivâ ad activam non licet concludere.* Illa est affectio creaturæ, & realiter differt à Deo: hæc est actio creatoris, & non nisi ratione ab ipso differt; utpote relatio essentiæ seu voluntatis Dei ad creaturam. Vnde Scholastici eleganter dicunt: Creaturæ nutu Dei sunt, ejusq; nutu dissolvuntur.

IV. *A primâ creatione ad secundam non valet consequentia.* Nam in prima creatione productæ sunt novæ rerû species, in instanti, solo Dei verbo Gen. 1. & 2. at in secundâ creatione producuntur nova individua per generationem.

V. *A creatione immediatâ ad mediatam, & vicis-*